

quaeso, ne usque adeo in expugnatione tui ac laesione  
permaneas, neve tantum ignominiae omnibus nobis  
effundas dolorem. Et quidem non de hac aetate solum  
25 loquor quando annum vicesimum nondum agis, sed etiam  
si omni te aevo in Christo vixisse meminissem, ad postre-  
mum te autem in ultimo senectutis curriculo aequae ut  
nunc lapsum viderem, ne tunc quidem huiusmodi in te  
desperationem probarem, sed erigerem te evangelici  
30 latronis exemplo iustificati in cruce, in ipsa morte sal-  
vati. Ante oculos collocarem eos etiam qui undecima qui-  
dem hora aggressi sunt opus sed ad totius mercedem diei  
pervenire meruerunt. Ut igitur satis durum videtur ac  
barbarum his qui devoluti fuerunt ad profundum imi  
35 gurgitis coenum, si tamen casus prioris crimen emendent,  
salutare correctis remedium denegare, ita rursus haud  
tutum est hac spe hominem ad vitia nutriri ut dicat :  
« Emendatio post ista succurrit. Nunc interim volupta-  
tibus vitae istius fruam, postea autem per exigui temporis  
40 castitatem mercedes transactorum quoque adipiscar  
annorum. » Nam et memini te saepe dixisse his qui in  
studiis tibi scolaribus posito tam perniciose suadebant :  
« Etiam si in illo, aiebas, brevi temporis spatio bonum ter-  
minum vitae fuero consecutus, quemadmodum ad illum  
45 ibo, qui dixit : « Ne differas converti ad Dominum, neque  
diem ex die protrahas. » Huius animi huiusque consilii  
recordare ac recipe rationem et constringe vinculis furem.  
Hoc enim nomine excessum de hoc saeculo nostrum Chris-  
tus appellat, quod ignorantibus veniat et nescientibus  
50 nobis repentinus assistat. Considera universas mundi